



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

78. An Confessarius, & Responsor casuum conscientiae sit irregularis, si interrogatus à iudice, an sit obligatus ad occidendum reum, respondeat esse obligatum? Et an sit irregularis ille, qui detegit ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

§. Confir-
matur, &
quavis no
pne sup.
hoc sed ut
melius pos
sis dicere
hanc quali
lege hic in
fra doctri
nam Ref 88.
& in tom. 1.
tr. 5. ex Ref.
46. vide §. 2.
& 3.

moral. lib. 3. sect. 5. tract. 3. cap. 7. num. 2. Villa-
lobos in *summa* tom. 2. tract. 21. diff. 27. num. 13. ubi
sic asserit. [Hæc de advertit, que si aliquos de los
que van acompañando al reo para consolarle (como
fueren hazer los Religiosos) dixisse inadvertidamente,
andemos hermano, d à caso picasse al jumento, d le
dixesse arte, no por esso quedaria irregular, no procu-
rando que se acelerasse la muerte. La razones, por-
que este acto no es planamente humano. En el segun-
do caso da ogra razon Henriquez, y dize que parum
pro nihilo reputatur, y lo mismo es quando dize al
reo que suba otro escalon.] Ita ille.

2. Igitur secundum præfatos Doctores similia ex-
cusantur, ut dictum est, vel quia Sacerdotes inadver-
tenter illa faciunt, vel ratione parvitas materia; unde
ajunt Layman, Molina, & alij communiter, quod
si cooperatio, vel acceleratio mortis in tali casu no-
tabiliter facta sit, irregularitatem contraherent.

3. Sed ego ad tollendos omnes scrupulos puto
probabilem esse contrariam opinionem sapientissimi
etatis nostræ Theologi P. Gabrielis Vasquez, qui pu-
tat etiam si notabiliter acceleretur, supradictos non
incurrere irregularitatem. Et sequitur Turrianus de

confisuris lib. 9. disp. 66. dub. 3. ubi sic asserit. Difficultas
est de illis qui assistunt, & non sunt ministri justitiæ
necessarii ad ferendam sententiam, vel concurrentes
ad executionem pœnæ; est dubium an incurrant
hanc irregularitatem, si aliquid dicant, vel faciant, ex
qua sequatur mors, vel acceleratio ejus; alij enim
Doctores severe loquuntur, existimantes esse irregula-
res, & sequitur P. Suarez. Sed oportet considerare,
an isti sint causa homicidij injustæ, ut si sine causa fa-
cerent, ut reus citius occideretur, & ob peccatum pos-
sunt incurrere irregularitatem impositam ob injustum
homicidium, de qua modò non loquimur. Si verò
sine peccato aliquid faciant, non videntur incurrere
irregularitatem ex defectu lenitatis. Ita sensit
Pater Vasquez, & sequuntur multi viri docti hoc tem-
pore; quia jura in quibus supponitur hæc irregulari-
tas, solum loquuntur de ministris justitiæ, & his, qui
concurrunt ad causæ probationem, sicut Advocatus,
& testes, & pœnæ executionem, ut ministri justitiæ.
Ita Turrianus ex Vasquez; qui etiam ad casum pro-
positum in præfata resolutione sic respondet. Ulte-
rius casus est frequens (hæc sunt ejus verba) ex quo
solent oriri dubia viris bonæ conscientie, an incurrat
irregularitatem, qui aliquo modo facit, vel dicit ali-
quid, ex quo citius sequatur mors rei, quando illum
comitatur, v.g. si dicat, pergamus citius, vel si dicat
reo, ascende citius, quando ascendit scalam. P. Avila,
& P. Henriquez solum excusant hos actus ab irregu-
laritate, quia non solent esse plenè liberi, quod ne-
cessarium est ad talem irregularitatem. Ego verò exi-
stimo distinctione opus esse, nam vel isti actus sunt
peccata mortalia, quia qui illos facit injustè, est
causa, ut mors citius fiat, & tunc incurritur irregu-
laritas, quæ oritur ex delicto, de quo modò non agi-
mus, neque tunc peccatum fit à personis religiosis; in
hoc eventu, vel non sunt peccata, & tunc existimo
non incurriri irregularitatem ex defectu lenitatis; nisi
aliquid faciant, ut ministri publici justitiæ. Hæc om-
nia Turrianus.

Sup. hoc in
Resolutio-
nibus, & §.
nos. præce-
pta.

Sup. con-
tents in hoc
§. lib. 10. m.

4. Igitur secundum Vasquez, & Turrianum nul-
lum jus imponit irregularitatem privatis personis ex
defectu lenitatis, sed jura in quibus supponitur hæc
irregularitas, loquuntur tantum de ministris justitiæ,
& iis, qui concurrunt ad causæ probationem, vel
pœnæ executionem. Vnde ex hoc principio dedu-
citur resolutio multorum casuum contra præfatos
Doctores, & sic non incurrunt irregularitatem, si quis
ei, qui plectendus est capite, dicat, ut supponat ca-
put ad excipiendum ictum, & ideo citius supponat.

Item si quis dicat carnifici, ut aliquid aptet, quo citius
is, qui morte plectitur, extinguatur. Item si quis, dum
reus ad supplicium ducitur, consilium det capiendi-
viam breviorē, quod illud subeat citius, aut solli-
citet accelerari executionem justitiæ dicendo, v.g.
horam esse tardam, vel populum nimis detineri. Item
vendentes vel commodantes scalam, funes, enses, fi-
gittas, & similia instrumenta ad mortis executio-
nem. Et idem dicendum est de eo, qui fecit furcam,
quidquid in contrarium asserant in supradictis casu-
bus Ioan. de la Cruz in *direct. conscientie* part. 2. de ir-
regularitate, dub. 5. concl. 2. Bonacina de *confisuris*, disp. 7.
q. 4. punct. 1. n. 9. Navarrus, Avila, Henriquez, Reginal-
dus, & alij ubi *supra*. Ratio verò horum omnium erit,
quia in his casibus potest incurriri irregularitas, vel ex
homicidio injusto, vel ex defectu lenitatis, non pri-
mum, quia suppono supradictos non peccare; non
secundum, quia non operantur, ut ministri justitiæ. Eri-
go nullam irregularitatem incurrunt.

5. Non gravior tamen hic adnotare contra alios
quos ignaros Sacerdotes, posse sine periculo irre-
gularitatis, ministrantes infirmis veterere eos, latere
ad latum, vel transmutare de lecto ad lectum, vel eis
cibum, & potum porrigere, licet ex his actionibus
præter intentionem mors citius sequatur, dommodo
hæc omnia, cum cautela, quæ communiter à pruden-
tibus adhibetur, efficiantur ab ipsis. Et ita docent Re-
ginaldus in *praxi* tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. n. 101. Me-
gala in 3. p. lib. 7. c. 1. quest. 5. n. 56. Filliucius tom. 1. tr. 19.
cap. 10. n. 278. qui citat Cajetanum, Sotum, Navarrum,
Toletum, Armillam, & Suarez.

6. Vnde non benè Comitulus lib. 6. quest. 52. n. 2.
ut optimè observat Filliucius, damnavit de irregulari-
tate Sacerdotem pium, qui jacentem in via conspicu-
tus, & accurrentibus aliis consuluit, ut illum erigerent,
qui dum sustolleretur, mortuus est.

7. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem questio-
nem, quam, ut in principio dixi, non parum gratam le-
ctoribus fore existimo; sed ex dictis alia similis que-
stio discutienda erit; quæro igitur.

RESOL. LXXVIII.

An confessorius & Responsor casuum conscientie sit irre-
gularis, si interrogatus à iudice, an sit obligatus ad occi-
dendum reum, respondeat esse obligatum?
Et an sit irregularis ille, qui detegit malefactorem, vel
clamat esse latronem, ut comprehendatur, nisi quando
qui manifestat, esset accusator, vel testis necessarius ad
cognitionem causæ, vel hoc faceret ut minister iustitiæ?
Ex p. 3. tr. 5, & Misc. 1. Ref. 81. aliis 80.

§. 1. **E**SSe in tali casu irregularem tenent, Avila de *Quæstio-
nibus* lib. 14. c. 16. n. 4. ubi docent, quod Clericus con-
sultus de casu aliquo in particulari, ne dicat iure reum non
licitum occidere, sed respondeat consulendos esse lu-
risconsultos. Aliqui verò, ut Ioan. de la Cruz in *direct. conscientie* p. 2. de irregularitate, dub. 5. concl. 4. Molina de
iust. tom. 4. tr. 3. disp. 74. n. 4. & alij, quos citat, & 81.
sequitur Bonacina de *confisuris* disp. 7. quest. 4. punct. 1.
num. 7. asserunt in tali casu Clericos interrogatos pos-
se dicere, quid sentiant leges in communi, nil aliud
præcipiendo: vel consuetudo in particulari, vel dicen-
do quid ipsi sentiant.

2. Sed ego puto in tali casu Confessarium, vel
aliud Doctorem non incurrere irregularitatem, etiam
si respondeat in particulari ad esse obligationem, occi-
dendi reum, Et ita docet Vasquez, qui apud me in-
stat omnium est, quem citat, & sequitur novissime
Turrianus de *confisuris* lib. 9. disp. 66. dub. 4. ubi sic asserit.
Solut.

Solet queri, an incurrit irregularitatem vir doctus, qui interrogatus à iudice, an sit obligatus ad occidendum aliquem, respondeat esse obligatum? Ego censeo non incurrit, etiamsi expresse dicat iudicem obligari ad occidendum; quia non est ius, ex quo colligatur non incurrit, si interrogatus respondeat esse obligationem servandi leges ejus materiae; & incurrit, si expresse dicat esse obligationem occidendi; hoc sentit P. Vasquez, & multi alij hujus ætatis. Ita Turrian.

3. Et revera, ut ille etiam bene asserit in 2. 2. tom. 1. diff. 93. dub. 12. consideratis circumstantiis rerum, si quis evolvat illam involutam responsionem de obligatione legis in communi, planè intelliget sibi dari consilium de occisione iusta in particulari; neque apparet caput, ut dictum est, in quo liceat responsio illa confusa de obligatione servandi legem in communi, & non expressa de obligatione servandi talem legem in particulari imponentem pœnam homicidij. Et certe severe valde ageretur cum Doctore, vel Confessario, si propter responsionem de obligatione expressa in prædicto eventu imponeretur irregularitas. Adde etiam, quod ut dictum est in superiori resolutione, illi solum incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, qui vel sunt necessarii ad causam judicalem, vel ut ministri justitiæ adfuerint executioni mortis. Sed tales non sunt in casu nostro Confessarius, & Consultor casuum conscientie. Ergo non incurrit irregularitatem, etiamsi expresse respondeant in illo casu particulari, de quo interrogati sunt iudicem, seu alium esse obligatum ad aliquem occidendum.

4. Ex his inferitur contra Bonaciam de censuris, diff. 7. q. 4. punct. 1. n. 18. Navarum, Covarruviam, Aviam, & alios, non esse irregularem eum, qui detegit malefactorem, vel clamat adesse latronem, ut comprehendatur, nisi quando qui manifestat esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel hoc faceret ut minister justitiæ, & ita docet Turrianus ubi supra de censuris, qui respondet ad cap. tua nos, de homicidio. Notetur hæc à Confessariis, quia nova, practicabilia, & probabilia sunt; & in aliis libris minime obvia.

RESOL. LXXIX.

An irregularitatem ex defectu lenitatis incurrant tantum ministri justitiæ, & non alij? Ex p. 3. tr. addit. Ref. 15.

§. 1. Omnes in dictam irregularitatem incurritur docent communiter DD. & hæc opinio est probabilior & communior. Sed pro contraria sententia ipse in p. meorum resol. moral. tr. 5. * resol. 79. adduxi Turrianum de cens. lib. 7. diff. 66. dub. 3. & quia scio hanc opinionem, ut liberatorem multorum scrupulorum, fuisse à multis viris doctis exceptam, nunc assero illam, præter Vasquez & Turrianum, docere etiam Gaspar. Hurtado ex eadem Societate. Iesu diff. 2. de irregular. gul. diff. 1. n. 39. Igitur secundum suprad. DD. irregularitas ex homicidio non incurritur ob concursum ad illud, nisi aut factum à ministro publico iuste, aut factum à persona privata iniuste; unde qui vendunt, aut docent ligna ad vivos comburendos, & gladios & fures, & alia instrumenta ad interficiendos delinquentes, nec confessarius secus consulens penitentem, iudicem, & quemlibet alium in casu particulari, ut concurrat ad interficiendum delinquentis nec quisvis in d. resol. & ratio horum omnium est, quia in iuribus, in quibus fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis, tantum est sermo de iudicibus & aliis officialibus concurrentibus ad occasionem, aut mutilationem, ut publicis personis & ministris justitiæ. Ergo dicta irregularitas non est extendenda ad illos. Perpetuo tene menti hanc doctrinam, amice lector, nam ex illa non paucos extricabis casus, & celebra ejus auctoritatem, qui fuit sapientiss. Vasquez, ut testantur Turrianus & Hurtado loco cit. & eodem P. Vasq. assistente, hanc sententiam publicè defendit in Collegio Complutensi Societ. Iesu vir doctiss. & amiciss. D. Franc. de la Ribas, heu quondam noster. Unde non est audendus. Villalobus 10. 1. tr. 2. 1. diff. 27. n. 12. ubi asserit. [El que emonestia al Reo que alegue la cabeza al tronco donde le han de justiciar, o le dize que suba a prieda la escalera, o al verdugo que a file el cuchillo, todos estos son irregulares;] non, inquam est audendus, quia supradicti non accelerant mortem, ut ministri justitiæ, neque committunt peccatum, ut suppono; ergo. Vide ut dixi, me ipsum in cit. resol. 79. & 80.

RESOL. LXXX.

Carnifex super patibulum existimabat jam Reum expirasse, sed unus ex astantibus dixit, vivit, vivit, unde ipse denovo pedibus collum calcavit, & Reus mortuus est, quaerunt, an in tali casu ille irregularitatem incurrit, & an per Episcopum sit dispensabilis? Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 61.

§. 1. Ad casum mihi propositum, dico primò Oratorem in nullam incidisse irregularitatem, per ea quæ ego adduxi in p. 3. tr. 5. resol. 79. Nam certum est ipsum non incurrisse irregularitatem ex homicidio iniusto, ut patet, & licet ille cooperatus sit ad mortem, ejus primæ accelerando illam, non ex hoc sequitur incidisse in irregularitatem ex defectu lenitatis. Quod nervosè probatur, quia irregularitas non incurritur nisi sit expressa in jure, ut manifestè habetur ex celebri textu, patet clarè in c. is, qui, de sent. excom. in 6. Sed jura impotentia irregularitatem ex defectu lenitatis, loquuntur tantum de ministris justitiæ, & his quæ concurrunt ad causæ probationem, vel pœnæ executionem, ut patet ex lectura Canonum hanc irregularitatem inducentium. Ergo omnes qui non sunt justitiæ ministri, si aliquid dicunt, vel faciunt, ex quo mors citius sequatur, irregulares censendi non erunt. Et adducatur mihi aliquis textus in contrariam, & ego dabo. Unde hanc sententiam præter Vasquez, & Turrianum ubi supra, in d. resol. 79. adductos tenet ex eadem Societate, Iesu Gaspar. Hurtado de cens. diff. 2. diff. 1. n. 39. & me citato, Stephanus Baunius in Theol. mor. p. 2. tr. 11. q. 23. dub. 11. quibus adde, me etiam citato, Machadam, & Celestinum, ille de perfecto Confessario, tom. 1. lib. 1. p. 3. tr. 18. docum. 5. n. 5. hic in compen. Theol. mor. tr. 4. c. 5. q. 1. Cum igitur hæc opinio solida ratione & auctoritate doctorum virorum fulcata sit, existimo Oratorem, ut dixi, nullo irregularitatis nexu vinci, quia acceleravit mortem non tanquam justitiæ minister.

2. Sed si Orator contrariæ sententiæ adherere vult, puto etiam probabiliter Eminentissimum Principem, & Dominum posse in hujusmodi irregularitatem dispensare, per ea quæ ego adduxi in p. 2. tr. 2. resol. 69. Et præter Caietanum, Campanilem, Rodriquez, & alios ubi adductos, hanc sententiam tanquam probabilem, me citato, novissimè etiam admittit Machab ubi supra, de perfecto Confessario, tom. 1. lib. 1. part. 3. tr. 18. docum. 8. num. 2. quibus adde non paucos, quos citat & sequitur Barbosa de potest. Episcop. part. 2. alleg. 39. num. 47. asserentes Episcopum posse dispensare super irregularitate contracta ex defectu lenitatis; ergo, &c.

X 2 Scio

Quæ hic sunt
antecedentes
Ref.

Quæ hic est
supra Refol.
77. & in aliis
ejus primæ
not.

Ut in anno
ratione præ
terita.

Quæ nunc
est in 10. 3. tr.
3. Ref. 35. &
in aliis pri
mæ not.